

NESTORI

- E9 v.1 Hoc tegor in tumulo, quarti jam prodigus aevi
 2 Nestor, consilio clarus et eloquio.
 3 Objecit sese cuius pro morte peremptus
 4 filius et nati vulnere vivo pater.
 5 Eheu cur fatis disponere sic placet aevum,
 6 tam longum ut nobis, tam breve ut Antilocho ?

PYRRHO

- E10 v.1 Orbe tegor medio, major virtute paterna,
 2 quod puer et regis Pyrrhus opima tuli.
 3 Impius ante aras quem fraude peremit Orestes,
 4 quid mirum, caesa jam genetrice furens.

EURYALO

- E11 v.1 Nec me non dignum titulo Pleuronia credit,
 2 cui communis erat cum Diomede domus,
 3 Euryalo et Sthenelo : nam tertius hoc ego regnum
 4 possedi, de quo nunc satis est tumulus.

GUNEO

- E12 v.1 Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen.
 2 Fama homines inter, caelum animus repetit.
 3 Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.
 4 Quae ? Caelum et tellus et mare et ora virum.

PROTESILAO

- E13 v.1 Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao ;
 2 nam primus Danaum bello obii Phrygio,
 3 audaci ingressus Sigeia litora saltu,
 4 captus pellacis Lartiadae insidiis.
 5 Qui, ne Trojanae premeret pede litora terrae,
 6 ipse super proprium desiluit clipeum.
 7 Quid queror ? Hoc letum jam tum mea fata canebant,
 8 tale mihi nomen cum pater inposuit.

DEIPHOBO

- E14 v.1 Proditus ad poenam sceleratae fraude Lacaenae
 2 et deformato corpore Deiphobus
 3 non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
 4 et pius Aeneas et Maro composuit.

HECTORI

- E15 v.1 Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepulta est :
 2 conduntur pariter, qui periere simul.

ASTYANACTI

- E16 v.1 Flos Asiae tantaque unus de gente superstes,
 2 parvulus, Argivis set jam de patre timendus,
 3 hic jaceo Astyanax, Scaeis dejectus ab altis.
 4 Pro dolor ! Iliaci Neptunia moenia muri
 5 viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

SARPEDONI

- E17 v.1 Sarpedon Lycius, genitus Jove, numine patris
 2 sperabam caelum, set tegor hoc tumulo,
 3 sanguineis fletus lacrimis. Pro ferrea fata !

4 Et patitur luctum qui prohibere potest.

NASTI ET AMPHIMACHO

E18 v.1 Nastes Amphimachusque, Nomionis inclita proles,
2 ductores quondam, pulvis et umbra sumus.

TROILO

E19 v.1 Hectore prostrato nec dis nec viribus aequis
2 congressus saevo Troilus Aeacidae,
3 raptatus bigis fratris jungor honori,
4 cujus ob exemplum nec mihi poena gravis.

POLYDORO

E20 v.1 Cede procul myrtumque istam fuge, nescius hospes :
2 telorum seges est sanguine adulta meo.
3 Confixus jaculis et ab ipsa caede sepultus
4 condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
5 Scit pius Aeneas et tu, rex impie, quod me
6 Thracia poena premit, Troia cura tegit.

EUPHEMO

E21 v.1 Euphemum Ciconum ductorem Troia tellus
2 condidit hastati Martis ad effigiem.
3 Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri :
4 insuper et frontem mole onerant statucae.
5 Ocius ista ruunt, quae sic cumulata locantur :
6 major ubi est cultus, magna ruina subest.

HIPPOTHOO ET PYLEO IN HORTO SEPULTIS

E22 v.1 Hippothoom Pyleumque tenet gremio infima tellus :
2 caulibus et malvis terga superna virent.
3 Nec vexat cineres horti cultura quietos,
4 dum parcente manu molle holus excolitur.

ENNOMO ET CHROMIO

E23 v.1 Ennomus hic Chromiusque jacent, quis Mysia regnum,
2 quis pater Alcinous Oceanusque atavus.
3 Nobilitas quid tanta juvat ? Quo clarius istis
4 est genus, hoc mortis condicio gravior.

PRIAMO

E24 v.1 Hic Priami non est tumulus nec condor in ista
2 sede : caput Danai deripuerunt meum.
3 Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
4 confugi ad cineres Hectoreos genitor.
5 Illic et natos Trojamque Asiamque sepultam
6 inveni et nostrum quidquid ubique jacet.

ITEM PRIAMO

E25 v.1 Qui tumulum Priami quaerit, legat Hectoris ante.
2 Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
3 Hectoris et patris simul est commune sepulcrum,
4 amborum quoniam juncta ruina fuit.

HECUBAE

E26 v.1 Quae regina fui, quae claro nata Dymante,
2 quae Priami conjunx, Hectora quae genui,
3 hic Hecuba injectis perii superobruta saxis,

4 set rabie linguae me tamen ultra prius.
 5 Fidite ne regnis et prole et stirpe parentum,
 6 quicumque hoc nostrum sema kynos legitis.

POLYXENAE

E27 v.1 Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto
 2 malueram nullo caespite functa tegi.
 3 Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi :
 4 hoc violare magis quam sepelire fuit.

DE NIOBE IN SIPYLO MONTE IUXTA FONTEM SEPULTA

E28 v.1 Thebarum regina fui, Sipyleia cautes
 2 quae modo sum : laesi numina Letoidum.
 3 Bis septem natis genetrix laeta atque superba,
 4 tot duxi mater funera quot genui.
 5 Nec satis hoc divis : duro circumdata saxo
 6 amisi humani corporis effigiem ;
 7 sed dolor obstructis quamquam vitalibus haeret
 8 perpetuasque rigat fonte pio lacrimas.
 9 Pro facinus ! Tantaene animis caelestibus irae ?
 10 Durat adhuc luctus matris, imago perit.

IN DIOGENIS CYNICI SEPULCRO, IN QUO PRO TITULO CANIS SIGNUM EST

E29 v.1 - Dic, canis, hic cujus tumulus ? - Canis. - At canis hic quis ?
 2 - Diogenes. - Obiit ? - Non obiit, set abit.
 3 - Diogenes, cui pera penus, cui dolia sedes,
 4 ad manes abiit ? - Cerberus inde vetat.
 5 - Et quonam ? - Clari flagrat qua stella Leonis,
 6 additus est justae nunc canis Erigonae.

ITEM DIOGENIS

E30 v.1 Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arta supellex
 2 ista fuit Cynici : set putat hanc nimiam.
 3 Namque cavis manibus cernens potare bubulcum :
 4 cur, scyphe, te, dixit, gesto supervacuum.

ITEM

E31 v.1 Effigiem, rex Croese, tuam, ditissime regum,
 2 vidit aput manes Diogenes Cynicus.
 3 "Nil, inquit, tibi, Croese, tuum ; superant mihi cuncta.
 4 Nudus eram : sic sum. Nil habui : hoc habeo."
 5 Rex ait : "Haud egui, cum tu, mendice, carebas
 6 omnibus ; et careo, si modo non egeo ?"

IN TUMULO HOMINIS FELICIS

E32 v.1 Sparge mero cineres bene olentis et unguine nardi,
 2 hospes, et adde rosis balsama puniceis.
 3 Perpetuum mihi ver agit inlacrimabilis urna
 4 et commutavi saecula, non obii.
 5 Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitae,
 6 seu meminisse putes omnia, sive nihil.

DE NOMINE CUIUSDAM LUCII SCULPTO IN MARMORE

E33 v.1 Una quidem, geminis fulget set dissita punctis
 2 littera : praenomen sic 'L:' nota sola facit.
 3 Post '.M.' incisum est ; <at> puto sic 'A:' non tota videtur.
 4 dissiluit saxi fragmine laesus apex.
 5 Nec quisquam, Marius seu Marcius anne Metellus

6 hic jaceat, certis noverit indiciis.
 7 Truncatis convulsa jacent elementa figuris,
 8 omnia confusis interiere notis.
 9 Miremur periisse homines ? Monumenta faticunt :
 10 mors etiam saxi nominibusque venit.

IUSSU AUGUSTI EQUO ADMIRABILI

E34 v.1 Phosphore, clamosi spatiosa per aequora circi
 2 septenas solitus victor obire vias,
 3 inproperanter agens primos a carcere cursus,
 4 fortis praegressis ut potereris equis,
 5 promptum et veloces erat anticipare quadrigas :
 6 victores etiam vincere laus potior.
 7 Hunc titulum vani solacia sume sepulcri
 8 et gradere Elysios praepes ad alipedes.
 9 Pegasus hinc dexter currat tibi, laevus Arion
 10 funis eat, quartum det tibi Castor equum.

DE SEPULCRO VACUO

E35 v.1 Me sibi et uxori et natis commune sepulcrum
 2 constituit seras Carus ad exequias.
 3 Jamque diu monumenta vacant, sitque ista querella
 4 longior et veniat ordine quisque suo,
 5 nascendi qui lege datus, placidumque per aevum
 6 condatur, natu qui prior, ille prior.

IN TUMULUM SEDECENNIS MATRONAE

E36 v.1 Omnia quae longo vitae cupiuntur in aevo,
 2 ante quater plenum consumpsit Anicia lustrum.
 3 Infans lactavit, pubes et virgo adolevit,
 4 nupsit, concepit, peperit, jam mater obivit.
 5 Quis mortem accuset, quis non accuset in ista ?
 6 Aetatis meritis anus est, aetate puella.

DE GLAUCIA INMATURA MORTE PRAEVENTO

E37 v.1 Laeta bis octono tibi jam sub consule pubes
 2 cingebat teneras, Glaucia adulte, genas.
 3 Et jam desieras puer anne puella videri,
 4 cum properata dies abstulit omne decus.
 5 Sed neque functorum socius miscebere volgo
 6 nec metues Stygios flebilis umbra lacus,
 7 verum aut Persephona Cinyreius ibis Adonis
 8 aut Jovis Elysii tu Catamitus eris.